

casu juramentum contra juramentum certo futurum perspiceret.

§. V.

Sed cum quotidiana praxis aliud omnino loquatur, ne reprobationis favor, qui non minor est favore probationis, id fieri nullo modo permittat, persæpe juramento contra juramentum locum esse asserere nullus dubito, non obstante perjurio inde emergente. Ratio satis valida hæc assignari potest, quod non sint facienda mala, ut inde eveniant bona, malum autem omnino esset Reum reprobationis beneficio jure tam naturali, quam civili ipsi competente privare velle. Nec ulla culpa talis perjurii in Judicem redundare potest, sed omnis apud testes pejerantes residet atque remanet:

§. VI.

Id tamen ambabus concederem, eo in casu quo testes secundum intentionem Actoris deposuissent, & testes à Reo producti contrarium jurato deponere parati essent, ex quibusdam autem circumstantiis haud parum verosimile esset, testes reprobatoriales contra veritatem & in favorem Rei esse testificaturos, Judicem salva conscientia vix eosdem ad juramentum admittere posse e. g. si non levis suspicio corruptionis adesset, vel illi essent intimi Rei amici, aut notorii Actoris inimici. Unde in casu reprobationis fere necessarium esset, Actori ante examen testium reprobatorialium exceptiones contra personas eorundem permittere, ut hac ratione, si testes suspecti deprehendantur, perjurium præcaveri possit. Aliud exemplum juramenti contra juramentum sæpius præstiti occurrit in juramento calumniæ generali hinc inde præstiti, nec non in juramento dandorum & respondendorum, in foro multorum locorum adhuc usitatis.

*QUÆSTIO IV.*

An nuptiæ incestuosæ sint, si maritus defunctæ uxoris sororem ducat, & an ejusmodi